



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

5. Fiducia in Deum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)



II. *Quamvis sis in tuto, noli esse securus.*  
 S. Bernard. *Qui existimat se stare, videat  
 ne cadat.* 1. Corinth. c. 10.

III. Domine, qui dixisti: *Sine me nihil  
 potestis facere.* Joan. 15. Da mihi, viribus  
 meis penitus diffidere.

## PASSUS V.

### Fiducia in DEUM.

#### TEXTUS.

*Nolite amittere confidentiam  
 vestram, quæ magnam ha-  
 bet remunerationem.* Hebr.  
 c. 10. 35.

#### Cognitio.

**F**iducia est spes roborata, atque perfecta:  
 quæ ex parte Dei est certissima, ac fir-  
 missima: quia nititur omnipotentia, boni-  
 tate, fidelitate ac promissione Dei, & Chri-  
 sti meritis: licet ex parte nostra, non sit  
 tam absoluta certitudo, ut timorem exclu-  
 dat; quia ex parte nostra accidere potest defe-  
 ctus: unde Apostolus monet, ut cum timore  
 & tremore salutem nostram operemur.

E ;

Mo



Motiva ad fiduciam excitantia, tempore pusillanimitatis, tristitiæ, tentationis, adversitatis, desolationis aut desperationis usurpanda.

Quomodo non confidam in Te Domine Deus meus; si tot ac tanta, ab infinita bonitate ac misericordia tua, in me profecta beneficia mente revolvam? Nam 1. Tu ab æterno dilexisti, & ex tot hominum millionibus elegisti me. 2. Tu in tempore creâsti me, conservâsti me, sustentâsti me; & omnibus bonis tuis locupletâsti me. 3. Tu pretioso Flii tui sanguine, voluisti redimi me. 4. Tu non ab infidelibus, Judæis, aut hæreticis parentibus, sed à fidelibus & christianis voluisti nasci me. 5. Tu me non absque baptismi lavacro decedere, & visione beatificâ æternùm privari; sed illo me à peccato originali mundari, & ovibus tuis annumerari fecisti. 6. Tu in salvifica fide catholica hæctenus me conservâsti; & Sacramento confirmationis in eadem stabilivisti. 7. Tu in pueritia, adolescentia, & juventute, ab innumeris corporis & animæ periculis me præservâsti. 8. Tu post primum peccatum lethale me non statim, ut poteras, in damnationis æternæ barathrum præcipitâsti; sed ad pœnitentiam clementer ad-



adduxisti. 9. Tu toties relapsum, per Sacramentum pœnitentiæ identidem abluisti, & in gratiam recepisti. 10. Tu pretioso Corpore & Sanguine Filii tui JESU Christi toties me pavisti. 11. Tu ad statum hunc pium & amabilem me benignè vocâsti, & in eo de tot salutis consequendæ mediis mihi paternè providisti. 12. Denique ut innumera taceam occulta & aperta beneficia, Tu me in ovem tuam, in servum, in amicum, in filium, in hæredem, in sponsam amanter admisisti, fovisti, dilexisti, ac donis ac favoribus maximis cumulâsti. Et ego Domine, post tot ac tanta certissima benevolentia tuæ signa, & luculentissima testimonia, de amore & benevolentia tua diffidam? Ergone hæc omnia gratis & frustra mihi præstitisti? O Domine! *Sub umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Psal. 56. v. 2. *Et etiamsi occideris me, in Te sperabo.* Jobic. 13. 25.

### Petitio.

Adauge in me, Domine, spem & fiduciam: nam cum S. Bernardo, *Tria considero, in quibus tota spes & fiducia mea consistit; charitatem adoptionis; veritatem promissionis; potestatem redditionis.* Serm. 3. de 7. panibus.



*Aspirationes.*

I. *Habe fiduciam in Domino, ex toto corde tuo. Proverb. c. 3. 5.*

II. *Domine, ecce spes mea, ecce tota fiducia mea, Filius tuus pro me crucifixus. S. Aug. med. c. 8.*

III. *Qui confidit in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in aeternum. Psal. 124.*

## P A S S U S VI.

## Timor Domini.

## T E X T U S.

*Initium sapientiae timor Domini. Psal. 111.*

*Cognitio.*

**T**Imor est fuga peccati, ne quis incurrat in poenam temporalem, aut aeternam; ne perdat coelestem gloriam; & ne labatur in sui Creatoris offensam. Timor autem est triplex: 1. *Servilis*, ortus ex formidine poenae. 2. *Initialis*, qui poenam & offensam respicit. 3. *Filialis*, qui timeet  
offen-